



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

repugnat fomes in actu secundo. Minor est certa, Major probatur. Sanctitas summa summè distat à peccato: At major à peccato distantia est, non solum opponi ipsi peccato, sed etiam ei quod ad peccatum inclinatur. Ergo summa sanctitas non solum opponitur peccato, sed etiam motibus appetitibus ad peccatum inclinantibus, & cum illis incompossibilis est.

76. Probatur secundò eadem pars ratione sumptà ex obligatione quæ est in persona Verbi prædictos motus coercendi, seu impediendi ne in humanitate assumpta insurgerent: unde sic arguo. Si motus inordinati appetitus sensitivi insurgerent in humanitate Christi, Verbo Divino imputarentur ad culpam: Sed hoc implicat: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Verbo ratione unionis humanitatis ad ipsum, incumbit obligatio specialiter gubernandi humanitatem, nedum ut rationalem, sed etiam ut sensitivam, & alias potest prædictos motus coercere, seu impedire ne insurgant: Ergo finire prædictos motus insurgere, illosque non prohibere, imputabitur Verbo ad peccatum. Antecedens est certum, nam obligatio gubernandi in Verbo, confurgit ex conjunctione humanitatis cum ipso in una Christi persona: Sed non solum est conjuncta Verbo natura humana, prout rationalis, sed etiam prout sensitiva: Ergo inest Verbo obligatio gubernandi humanitatem assumptam, & vitandi mala illius secundum utramque rationem consideratæ. Consequentia autem probatur: quia namque naturæ humanæ prout rationali incumbit obligatio gubernandi seipsam ut sensitivam, si prædicti motus insurgerent, naturæ rationali advertente, & illos impedire potente, ipsi imputarentur ad peccatum: Ergo si in Verbo est obligatio gubernandi naturam humanam, nedum ut rationalem, sed etiam ut sensitivam, cum alias posset prædictos motus vitare, finire tales motus insurgere, eosque non impedire, imputabitur ei ad culpam.

77. Tertiò suaderetur eadem pars: Repugnat Deum ut authorem specialem causare motus inordinatos appetitus sensitivi: At si darentur illi motus in humanitate Christi, Verbum prout in ea subsistit, esset specialis causa illorum: Ergo implicat dari tales motus in humanitate Christi. Minor constat ex dictis articulo præcedenti, ubi ostendimus omnes operationes humanitatis Verbo hypostaticè unitæ, attribuendas esse Verbo ut in illa subsistenti, non solum denominativè, sed etiam elicitive, & effectivè, ut causæ particulari; unde cum motus inordinati appetitus, essent actiones naturæ sensitivæ, Verbo hypostaticè unitæ, necessariò essent attribuendi Verbo ut in illa subsistenti, tanquam causæ particulari. Major autem ostenditur primò: Motus illi, etsi non sint peccaminosi formaliter, defectu libertatis, sunt tamen mali obiectivè: Ergo non possunt à Deo effici ut à causa particulari.

Secundò, Habitus vitiosi non possunt à Deo causari, ut à causa particulari, etiam de potentia absoluta, ut tenet frequentior Theologorum sententia; & hoc quia licet peccata non sint, tamen in peccatum inclinant: Sed motus inordinati appetitus, prævenientes usum rationis, quamvis peccata non sint, in peccatum tamen inclinant: Ergo Deus non potest illos causare ut causæ particularis.

Tertiò, Licet odium Dei usum rationis præveniens, non sit peccatum formaliter, utpote expers libertatis, non potest tamen à Deo effici, ut causæ

Tom. IV.

B particulari: Ergo pariter motus inordinati appetitus, quamvis peccata non sint, ex defectu libertatis, nequeunt tamen à Deo, ut à causâ particulari, elicitive procedere.

Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit fomitem peccati, per modum actus primi, non posse reperiri in humanitate Christi, nam cui repugnat actus secundus, videtur repugnare actus primus, cum iste ab illo specificetur: Ergo si de potentia Dei absoluta non possint reperiri in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitivi, qui sunt fomes peccati in actu secundo, nec poterit etiam talis fomes per modum actus primi in illa existere.

B Potest etiam suaderi hæc pars ex principiis supra statutis: Nam ut supra contra Durandum ostendimus, essentia fomitis in actu primo sumpti, non consistit in sola entitate appetitus sensitivi, sed in illa ut in actu primo expedita ad motus inordinatos: At quamvis in humanitate Christi extiterit entitas appetitus sensitivi, expeditio tamen per modum actus primi ad motus inordinatos non potuit esse in illa, etiam de potentia absoluta: Ergo nec fomes per modum actus primi. Minor probatur: Potentia in actu primo expedita, dicit carentiam impedimenti se tenentis ex parte actus primi in ordine ad operandum: Sed implicat in appetitu humanitatis Verbo hypostaticè unitæ, carentia impedimenti se tenentis ex parte actus primi operativi prædictorum motuum: Ergo implicat expeditio in actu primo ad motus inordinatos in humanitate Verbo unita, vel in ejus appetitu. Major pater, Minor probatur, Motus inordinati appetitus pugnant essentialiter cum unionè hypostatica, vel ratione summæ sanctitatis, vel ratione obligationis quam fundat in Verbo ut Deo, prædictos motus vitandi; vel quia repugnat Verbo per modum causæ specialis in illos influere, ut in probatione primæ partis conclusionis declaravimus: Sed unio hypostatica se tenet ex parte actus primi in ordine ad omnes operationes humanitatis Christi, cum illa non possit intelligi in actu primo potens ad operandum, nisi intelligatur subsistens & existens, & non subsistat nec existat, nisi per subsistentiam & existentiam Verbi, ipsi per unionem hypostaticam communicatam: Ergo implicat in appetitu humanitatis unitæ Verbo, carentia impedimenti ad motus inordinatos, se tenentis ex parte actus primi operativi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bicies primò contra primam conclusionem: Christus voluit tentari per omnia & in omnibus, ad nostrum exemplum, ut docet Apostolus ad Hebræos 4. Sed unus modus tentationis, & maximus, est per motus concupiscentiæ, & carnis, seu fomitis: Ergo motus illi fuerunt in Christo, & per consequens fomes in actu secundo.

Respondeo cum D. Thoma in 1.ª quæst. 41. art. 1. ad 3. quod utique voluit Christus tentari per omnia & in omnibus, sed absque peccato, ut ait Apostolus: tentatio autem quæ fit per motus carnis non potest esse absque peccato, quia hujusmodi tentatio fit per delectationem & concupiscentiam, & sicut Augustinus dicit 19. de civit. cap. 4. nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum; & idè Christus noluit tentari à carne, bene tamen ab hoste, cujus tentatio potuit esse sine peccato.

MMmm

Hæc solutio & doctrina aliquibus displicet, ob rationem quam in illa adhibet S. Doctor, scilicet quia tentatio quæ fit per motus carnis, non potest esse sine peccato: etenim interdum possunt esse huiusmodi motus absque ullo peccato, ut patet in nobis, quando sunt motus primò primi.

82. Verùm ratio illa D. Thomæ optima est, nam principium illud quod assumit non est universaliter intelligendum respectu omnium hominum, ita ut semper tentatio carnis cum delectatione sit peccatum; certum enim est in nobis illam posse esse merè naturalem & involuntariam, prævenientem deliberationem & consensum rationis, ac proinde sine ullo peccato; sed debet intelligi respectu Christi: idcirco enim in nobis prædicta tentatio carnis non semper est peccatum, quia non possumus semper illam prævenire aut coercere: At Christus poterat omnes motus sui appetitus sensitivi prævenire & cohibere; unde aliquis culpa esset in illo, eos in se permittere, ut supra observatum est.

83. Ad id verò quod subditur de nostro exemplo, responderetur non fuisse necessarium Christum tentari motibus concupiscentiæ, ut nobis præberet exemplum superandi easdem tentationes, cum enim hoc tentationis genus sit internum & occultum, non potuit per illius victoriam dare nobis exemplum superandi tentationes carnis, sed multis aliis modis sibi convenientibus id præstitit.

84. Obijcies secundò: Fomes in actu secundo est actus appetitus sensitivi circa objectum delectabile rationi contrarium: Sed hic actus fuit in Christo: Ergo fuit in illo fomes in actu secundo. Major patet, Minor probatur. Fuit in appetitu Christi tristitia de morte subeunda, ut docet D. Thomas hic art. 6. Sed huiusmodi tristitia fuit erga objectum rationi contrarium: Ergo in appetitu Christi fuit actus circa objectum rationi contrarium. Major est certa, Minor verò suadet. Objectum aliquod esse contrarium rationi est esse aliquà lege prohibitum: Sed negatio mortis in quam prædictus actus tendebat, erat prohibita Christo, quandoquidem mors erat illi præcepta: Ergo actus appetitus sensitivi quo Christus mortem fugiebat, erat circa objectum sensibile, ordinis rationis contrarium.

85. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, nego etiam Minorem; nam actus ille quo Christus mortem fugiebat, non erat erga objectum illicitum, vel recte rationi difformis, sed potius valde conformis; mors enim non erat Christo præcepta, prout erat malum naturæ, sed prout ad finem redemptionis conducebat; & similiter negatio mortis non erat Christo prohibita, prout bona & conveniens naturæ, sed prout opponebatur morti ut conducenti ad finem redemptionis: motus autem appetitus sensitivi quo Christus tristabatur de morte, non erat de illa omnibus circumstantiis attentis, sed præcisè quatenus mala naturæ: nec mortis negationem sub omnibus circumstantiis attingebat, sed erat quædam simplex complacentia de negatione mortis, prout naturæ conveniente, & simplex displicentia mortis, prout est mala & disconveniens naturæ; & quia displicere in morte prout sic considerata, & in negatione mortis sic inspecta complacere, nullatenus erat prohibitum, prædictus actus quo Christus mortem fugiebat, non erat circa objectum illicitum, nec per consequens actus fomitis. Solutio est D. Thomæ hic art. 4. ad 3. quod sic procedebat: *Passiones ani-*

A *ma videntur idem esse cum fomite, unde & Apostolus Roman. 7. vocat eas passionibus peccatorum: Sed in Christo non fuit fomes peccati: Ergo videtur quod non fuerint in eo animæ passionibus.* Cui argumento sic responderet: *Ad tertium dicendum quod passionibus peccatorum sunt motus appetitus sensitivi in illicita tendentes, quod non fuit in Christo, sicut nec fomes peccati.* Sentit ergo D. Thomas, illos motus appetitus sensitivi in Christo, passionibus peccatorum non fuisse, nec actus fomitis, quia in objecta illicita non tendebant, & consequenter ideò tristitia de morte, passio peccati, vel actus fomitis non fuit, quia non erat erga objectum illicitum, sed potius rationi conformum: nam licet supposito præcepto de morte, displicere in illa efficaciter, esset peccatum, in illa tamen inefficaciter displicere, quatenus mala naturæ, & in ejus negatione ut naturæ conveniente inefficaciter complacere, bonum erat & rationi conforme: Nam ut ait Augustinus lib. 10. Confess. cap. 28. loquens de miseris, & afflictionibus hujus vitæ: *Tolerare eas jubet, non amare: nemo autem quod tolerat, amat, quamvis tolerare amet.* Unde S. Thomas infra quæst. 18. art. 6. docet voluntatem Dei fuisse ut Christus dolores, passionibus, & mortem pateretur, non quod ista secundum se essent volita à Deo, sed ex ordine ad finem redemptionis: sensualitas autem illa fugiebat, non ut ad finem redemptionis ordinata, sed secundum se inspecta, & prout erant naturæ disconvenientia.

B *86. Dices: Si appetitus sensitivus in Christo fugiebat mortem, quam voluntas ejus per rationem superiorem volebat, sequitur in ipso fuisse pugnam interiorem appetitus contra rationem, subindeque fomitem peccati, consistentem in appetitu contra rationem insurgente, juxta illud Pauli: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee.*

Sed negatur sequela, nam pugna interior appetitus contra rationem, consistit in contrarietate appetitus ad rationem: ut autem sit contrarietas, requiritur quod oppositio attendatur in eodem secundum idem, ut docet D. Thomas infra quæst. 18. art. 6. Etsi autem appetitus in Christo refugeret mortem præceptam, non tamen illam reculebat ut ordinatam ad finem redemptionis, sed ut malam naturæ, & illi disconvenientem; ratio verò superior non volebat mortem ut malum naturæ, sed ut ordinatam in prædictum finem; & ita quamvis circa idem versarentur objectum, non tamen secundum eandem rationem, ac proinde non erat contrarietas appetitus cum ratione.

87. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Ex eo probat D. Thomas in Christo non fuisse fomitem peccati, quia habuit virtutes morales secundum perfectissimum gradum, sicut & gratiam: Sed hæc ratio non videtur efficax: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Minor probatur: In Joanne Baptista, & alijs Sanctis viris, virtutes in gradu heroico extiterunt, & tamen in eis non fuit fomes extinctus, imò nec ligatus, ut communiter docent Theologi, qui hoc privilegium fomitis extincti aut ligati, solum in Beatissima Virgine agnoscunt, propter dignitatem matris: Ergo virtutes inhærentes appetitui, quantumvis in summo sint, non sufficiunt ad ligandum vel extinguendum fomitem; & ita ex eo quod huiusmodi virtutes, in summo perfectionis gradu in humanitate Christi fuerint, non rectè inferit S. Doctor, in Christo non fuisse fomitem, sed id aliunde probandum est.

88. Huic difficultati respondet Cajetanus hic art. 2. perfectionem virtutis in aliis hominibus regulariter non tollere fomitem, bene tamen in tali subiecto, scilicet in anima Christi; & rationem discriminis reddit: Nam anima Christi (inquit) erat quantum ad elongationem à peccato, sicut anima in statu innocentie, anima autem reliquorum, quamvis sanctificatorum in utero, in hac vita sunt sicut anima hominis, qui incidit in latrones, & non solum spoliatus est gratiis, sed etiam vulneratus in naturalibus; & ideo in anima Christi secundum se, sola naturalis inclinatio partis sensitivæ in bonum sibi consonum erat per virtutem subiicienda perfectè rationi, ut nulla ratio fomitis maneret in eo: in aliis autem non solum est naturalis inclinatio partis sensitivæ in bonum sibi consonum, sed talis inclinatio est vulnerata, & propterea non sufficit in aliis ad tollendum fomitem perfectio virtutis, sed speciali est opus gratiæ sic sanante, ut extinctus sit fomes peccati, quod soli Beata Virgini in hac vita concessum credimus.

89. Hanc Cajetani doctrinam Vazquez hic disp. 61. cap. 8. frivolam appellat, eamque impugnatur, quia eadem omnino secundum substantiam, est natura inclinatio appetitus in quocumque statu, & virtutes ejusdem sunt efficacitatis: solum autem est discriminem, quia in illo statu, protectione peculiari Dei non sinebatur appetitus exire in motus inordinatos, in hoc autem statu finitur, ergo si in natura vulnerata virtutes non sufficiunt ad subiiciendum perfectè appetitum ad rationem, pariter nec in statu innocentie, nec in anima Christi Domini sufficiunt, esto in naturalibus vulnerata non fuerit.

90. Verùm hæc impugnatio frivola est, futileque prorsus motivo ducitur Vazquez ad aspernandam doctrinam Cajetani, supponens quod probare deberet, nempe fomitem in statu innocentie fuisse solà Dei protectione impeditum, ne exiret in motus inordinatos; cuius contrarium à Cajetano supponitur, & expressè docetur à D. Thoma 1. p. qu. 95. art. 1. & 2. ubi asserit gratiam statim innocentie, scilicet justitiam originalem, inter alios effectus habuisse subijcere appetitum rationi: quam gratiam non in extrinseca Dei protectione consistere, sed in aliquo dono permanente, & intrinseco, docet communis Theologorum sententia.

91. Falsum etiam est quod ait, nempe gratiam & virtutes in quocumque subiecto & statu ejusdem esse efficacitatis, eisdemque præstare effectus: gratia enim habitualis in Christo fuit radix justitiæ commutativæ ad Deum, & tamen in nobis non est radix hujus virtutis. Similiter in Angelis non est radix virtutum temperantiæ & fortitudinis, & aliarum, quæ passionibus moderantur, bene tamen in nobis. Item gratia in Christo habet influere in alios, at in nobis non habet hunc influxum. Demum eadem charitas in via est amissibilis, eo quod ipsum subiectum sit vertibile de bono in malum: in patria verò inamissibilis est, facitque ipsum subiectum non posse verti de bono in malum: Cur ergo pariter gratia in Christo & Adamo, mediantibus virtutibus ab illa promanantibus, & in gradu perfectissimo existentibus, non potuit ita perfectè subijcere appetitum sensitivum rationi, ut nullus in eo motus inordinatus insurgeret; licet in Joanne Baptista, & aliis Sanctis viris, etiam in utero sanctificatis, hunc effectum non præstiterit?

92. Gratia ergo & virtutes in Christo & in Adamo
Tom. IV.

A habuerunt vim reprimendi omnes motus inordinatos, non secundum se, sed quia erant in talibus subiectis; non quod ab ipso subiecto tribueretur illis talis efficacitas, sed quia Deus non tribuebat illam gratiam & virtutibus existentibus in quocumque subiecto, sed solum gratiam existentem in Christo, in Adamo, & Beata Virgine: gratiam Christi, quia filius Dei naturalis erat; gratiam Adam, quia fuit caput generis humani; & gratiam B. Virginis, quia fuit mater Dei. Potestque id explicari exemplo gratiæ quæ est in confirmatis, quæ habet illos firmare in bono, & inclinare infallibiliter in illud: hæc verò perfectio non competit ipsi gratiæ secundum se, ut patet, aliis quilibet justus esset in gratia confirmatus, neque consistit in majori intentione ejusdem gratiæ, etenim gratia non confirmans in bono, aliquando est magis intensata, quam gratia in bono confirmans; multi siquidem sunt in via non confirmati, qui habent gratiam & charitatem magis intensam, quam aliqui existentes in patria: sed attenditur secundum quandam participationem gratiæ & charitatis patriæ, quæ secundum modum est alterius rationis à gratia & charitate viæ, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 7. ad 3. habetque non solum excludere omne peccatum, sed etiam potentiam peccandi tollere. Ita similiter in presenti dicimus, hanc perfectionem quam habuit gratia in Christo, & in Adamo, perfectè subiiciendi appetitum sensitivum rationi, & impediendi ne ullus in eo motus inordinatus insurgeret, non competere illi secundum se, neque consistere in majori intensatione illius, sed provenire ex quadam participatione gratiæ patriæ, quæ non solum habet excludere omne peccatum, sed etiam omnes motus inordinatos appetitus sensitivi, prævenientes rationem. Ex quo faciliè solves plures instantias quas Vazquez adducit in contrarium.

Obijcies quartò contra ultimam conclusionem: Impedimentum excludens fomitem ab humanitate Christi, est ipsa gratia habitualis in ipso existens, mediantibus virtutibus infusis quæ ab illa dimanant, ut jam ostendimus: Sed potuit de absoluta potentia humanitas Verbo uniti sine gratia habituali & prædictis virtutibus, cum illæ non sint dispositiones necessariae, sed tantum congruæ, ad unionem hypostaticam: Ergo potuit humanitas Verbo uniti sine impedimento fomitis, & consequenter de potentia absoluta, in humanitate Verbo unita potuit remanere fomes peccati.

Respondeo distinguendo Majorem: Impedimentum unicum & necessarium ad fomitem excludendum ab humanitate Christi, est gratia habitualis &c. nego Majorem. Impedimentum sufficiens, concedo Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Nam licet ex negatione causæ unicæ & necessaria ad effectum, rectè negatio illius colligatur, non tamen ex negatione causæ, quæ licet sufficiens sit, unica tamen non est. Licet autem gratia & virtutes in ea perfectione in qua extiterunt in humanitate Christi, sufficientes fuerint ad fomitem auferendum, necessaria tamen non fuerunt, sed poterat sine illis fomes in humanitate impediri, nempe à subsistentia Verbi, cum qua (ut supra ostendimus) motus inordinati appetitus sensitivi componi nequeunt; atque adeo etiam si humanitas Verbo uniretur sine gratia habituali & virtutibus infusis, & sine ullo dono accidentali, ut potuit de absoluta potentia, fomes tamen in illa non esset.

M M m ij

95. Obijcies ultimò: Majorem videtur habere oppositionem cum unione hypostatica habitus vitij, quam fomes peccati: Sed habitus vitiosus, de potentia absoluta possunt esse in humanitate Verbo unita: Ergo & fomes peccati. Major videtur manifesta, Tum quia habitus vitiosus proximior est malo ad quod dat facilitatem, quam fomes qui non dat facilitatem, sed in potentia consistit. Tum etiam quia fomes peccati non inclinat in malitiam moralem formaliter, sed tantum pro materiali, scilicet ad bonum delectabile; habitus verò vitiosus est facilitas, inclinatio, & promptitudo ad malum, ut malum malitiā morali formaliter. Minor verò suadetur: Cum unione hypostatica solum malum culpæ videtur habere oppositionem: Sed habitus vitiosus non importat malum culpæ, ablata enim omni culpā, imò & reatu pœnæ, possunt manere hujusmodi habitus, ut patet in baptizatis, quibus omnis culpa & pœna perfectè remittitur, & tamen si habeant antea habitus vitiorum, non propterea per baptismum auferuntur: Ergo habitus vitiosus possunt, saltem de absoluta potentia, in humanitate Verbo unita existere.

96. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, implicat enim habitus vitiosus in humanitate Verbo unita existere, quidquid in contrarium dicant Vazquez hic disp. 61. cap. 8. num. 36. Ragusa disp. 114. §. 8. & alij ejusdem Societatis. Ratio verò negati ex principiis suprà statutis facillè colligitur. Christi enim humanitas, ex vi unionis hypostaticæ, est infinitè atque summè sancta: Sed cum infinita & summa sanctitate habitus vitiosus impossibilis est: Ergo & cum unione hypostatica. Major patet, Minor probatur. Tum quia summa & infinita sanctitas, nedum cum peccato, sed etiam cum potentia proxima peccandi, impossibilis est, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo & cum facilitate ad peccandum, quæ proximitus ad peccandum, quam ipsa potentia accedit. Tum etiam, quia summa sanctitas dicit summam à peccato distantiam: Sed major est distantia, à peccato distare, & à facilitate ad peccandum, quam à solo peccato: Ergo summa sanctitas nedum opponitur peccato, sed etiam vitio, quod facilitatem ad peccandum præstat. Unde ad probationem Minoris, Major neganda est; nam cum unione hypostatica, non solum peccatum, sed etiam proxima & expedita ad peccandum potentia, & a fortiori facilitas, inclinatio, & promptitudo ad peccandum, impossibilia sunt.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

97. EX dictis in hac disputatione colligitur, tres esse causas sufficientes impeccabilitatis Christi, & exclusionis fomitis ab ejus humanitate. Prima & principalis est unio hypostatica, quæ cum summè & infinitè humanitatem Christi sanctificet, nedum peccatum, & potentiam peccandi, sed etiam omnes motus inordinatos appetitus sensitivi prorsus excludit, ut ex suprà dictis patet. Secunda est visio beatifica, quæ cum animam Christi primæ rectæ operationis regulæ conjungat, illam etiam reddit impeccabilem, & insuper vim & efficacitatem habet comprimendi omnem inordinatum affectum appetitus sensitivi: si enim in via, perfecta Dei contemplatio, quæ est sub velamine fidei, ita ad se rapit sensum, ut licet non

A impediatur omnem motum appetitus, saltem ipsum egregiè moderetur, imò pro eo tempore quo durat, impediatur, ut patet in ecclasi; nihil mirum, si clara illa Dei contemplatio, constanter in Christo & in beatis perseverans, omnem inordinatum motum appetitus prorsus impediatur.

Tertia causa impeccabilitatis Christi, & exclusionis fomitis ab ejus humanitate, sumitur ex perfectione gratiæ habitualis in anima ejus existentis, & virtutum quæ ab ea dimanant; illa enim gratia, ratione conjunctionis quam habet cum gratia unionis, & quia in Christo est in statu perfecto & connaturali, habet quandam participationem gratiæ patriæ, ratione cujus firmat animam Christi in bono, & potentiam peccandi, ac fomitem peccati, motusque omnes inordinatos appetitus sensitivi, ab humanitate ejus excludit, atque ita Christus triplici titulo sanctus & impeccabilis est, unde ob triplicem illam sanctitatis & impeccabilitatis ejus causam, & prærogativam, Daniel. 9. *Sanctus Sanctorum* appellatur; & Isaiæ 6. Seraphim die ac nocte, sacrum illud trifagium, *Sanctus Sanctus Sanctus*, ante Thronum ejus decantant.

DISPUTATIO XXI

De merito Christi.

Ad questionem 19. D. Thomæ.

Celebris est hæc disputatio, plures enim & graves circa meritum Christi, ejusque libertatem, quæ est conditio ad merendum necessaria, occurrunt difficultates, quas articulis sequentibus, eā quā poterimus perspicuitate & brevitate, proponemus ac resolvemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An & quando Christus meruerit?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

PRO resolutione utriusque difficultatis recolendum est ex Tractatu de justificatione & merito, sex conditiones de lege ordinaria ad merendum esse necessarias: Nā primò requiritur quod actio meritoria sit libera, quia naturalibus nec mere-mur, nec demeremur. Secundo, operatio debet esse bona ex objecto & omnibus circumstantiis, nam actus malus non meretur præmium, sed pœnam. Tertiò, debet procedere à subiecto grato, iuxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Ubi prius ad Abel, id est ad subiectum Deo gratum, deinde ad munera ejus respexit Dominum asseritur, quia nisi subiectum sit gratum, opera ejus Deo grata non sunt. Quarto, quod formaliter vel virtualiter referatur in finem supernaturalem, quia ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 4. charitas est quæ conjungit actus aliarum virtutum cum ultimo fine, & ideo ex imperio charitatis habent quod sint meritorie vitæ æternæ. Quintò, quod sit actio viatoris, nam beati & damnati, quia sunt in termino, mereri